



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Epistola Sancti Germani Episcopi Parisiorvm Ad Brvnichildem Reginam. Vt
Sigebertum regem reuocet a consilio belli, quod fratri suo inferebat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

NOTA SEVERINI BINII.

ANNO
CHRISTI
575.

^{Clades Gal-}
^{liae sub Chil-}
^{perico illa-}
^{ta.}
** Concilium.] Cum in Gallia bellum ciuale recrudeſceret, Gun-
tramus rex procurauerat ut Parisis Concilium celebraretur, si forte per sanctissimos episcopos res absque bello componi posset. Ve-
rum ubi semel res armis agi coepit, ecclesiasticae leges omnino fi-
luerunt. Ait enim Gregorius de gestis Francorum lib. 4. cap. 47. &
48. his temporibus accidisse, ut Chilpericus per filium suum Theo-
dobertum Turonensibus, Pictauiensibus, atque aliarum ciuitatum
ecclesias magnam cladem intulerit. Hanc ille paucis perstringens,
sic ait: *Vastat, euertit, ecclesias incendit, ministeria detrahit, clericos in-
terficit, monasteria virorum deiicit, puellas deludit, & cuncta deuastat:*
*fuitque illo tempore peior in ecclesias gemitus, quam tempore persecutoris
Diocletiani. Vide Baronium anno 576.**

EPISTOLA SANCTI GERMANI
EPISCOPI PARISIORVM
AD BRVNICHILDEM REGINAM.

Ut Sigebertum regem reuocet a consilio belli, quod
fratri suo inferebat.

*Dominæ clementissimæ atque præcellentissimæ, & nobis semper
piissimæ dominæ, & in Christo sanctæ ecclesiæ filiæ,
Brunechildi reginæ Germanus peccator.*

^{1. Cor. 6.}
QVIA caritas congaudet veritati, & omnia sustinet, &
nunquam excidit; propterea ex contribulato corde,
& ex intima animi dilectione audemus vobis suggerere.
Quia eo tempore, quando minor erat numerus populi
Christiani, & cum Dei auxilio licebat residere quietum,
cum apostolis dicebant: *Eccenun tempus acceptabile, ecce nunc
dies salutis.* Nunc e contrario tam funestos & luctuosos
ante oculos habentes dies, flenter dicimus: Ecce dies tri-
bulationis & perditionis nostræ adueniunt. Vx nobis, quia
peccauimus. Sinos istæ non conterruiſſent amaritudines
& tribulationes, & corpori exhibuiſſent infirmitatem,
per nosmetipſos veſtræ debuimus occurrere pietati. Quia
ſi fas dici eſt, ſingulariter & veſtri dilectionem in noſtro
geſtamus pectore, & vnicē de veſtra praesentia ſpirituali de-
ſiderio ſitiētes, ſicut cultores & peculiares filii Dei, ambien-

ANNO CHRISTI
573. tissime vos viuere atque proficere in omnibus pie optamus. Sed quicumque hominem in anima diligit, si minus oculis carnalibus eum valet intueri, quæ ad animæ & corporis prosperitatem pertinent & salutem, omnimodis literario officio reticere non debet. Vulgi verba iterantes, quæ nos maxime terrent, vestræ pietati in notitiam deponimus, quæ ita disseminata loquentium ore detrahunt, quasi vestro voto, consilio & instigatione dominus gloriissimus Sigebertus rex tam ardue hanc velit perdere regionem. Non propterea hæc dicimus, quasi a nobis creditur: sed supplicamus, vt nulla occasio tribuatur dicendi, vnde vobis tam maximum & periculosum generetur blasphemium. Licet hæc regio iam caruisse felicitatē, & perditionis nostræ concludamus terminum: sed de misericordia non desperabamus diuina, adhuc vltionis suspendendi manum, dum emendationis expectatur remedium, si non dominaretur intentio, quæ mortem operatur; cupiditas, quæ radix est omnium malorum; iracundia, quæ sensum aufert prudentiæ. Saluator noster perspiciens suæ passionis imminere tempus, dixit: *Væ homini per quem scandalū venit.* Matth. 18.

Quod ore proprio detestatus est, impune non posse manere credimus: omnibus clamamus, omnes conscientiæ suæ cogitationes & actiones considerent, & caueant ne cum Iuda proditore huius cōdemnationis fortiantur iudicium. Deo sufficit nosse, optabam aut pro ipsis mori, vt illi viuerent; aut ante eorum interitum quocumque casu vitam finire, vt nec eorum, nec regionis cerneremus interitum. Sed alter ab alterutro excusatione vtitur, & nullus ex ipsis ante oculos Dei ponit iudicium: neque aliquid Dei referuat potestati iudicandum, nec credunt se iam sub Dei esse notitia. Quia a nullo audiri meremur, vobis & ideo supplicamus: quia si illi regnum perdiderint, nec vos, nec filii vestri magnum possidebitis triumphum. Ad hoc vos hæc regio suscepisse gratuletur, vt per vos salutem, non interitum, percipere videatur. In hoc populi restinguitis verba, si mitigatis furorem, si Dei facitis expectare iudicium. In veritate suggero, si meam humilem despiciatis supplicationem, adhuc de votorum vestrorum gaudeamus plenitudine. Propterea hæc dolens scribo, quia video qualiter præcipitantur & reges & populi, vt Dei incurvant

Concil. Tom. 12.

Vuuu ij

offensam. Ita legimus: *Quicumque in brachii sui fortitudine sperauit, antea confusionem quam victoram promeruit. Quicumque adminiculo gentis sibi adiuuari posse confidit, antea periculum mortis quam salutem promeruit. Quicumque propter copiam auri & argenti eleuatur in superbiam, antea desolationis opprobrium sustinebit, quam suæ cupiditatis consuluisset auditati. Ipse iudex æternus nunc iudicat, perpetuam iudicariam possidet potestatem: non corruptitur præmiis, aut adspicit ad vota impiorū, sed considerat cogitationes cordium, & reddet vnicuique secundum opera sua. In honesta victoria est fraterem vincere, domesticas domos humiliare, & possessio- nem a parentibus constructam euertere. Contra semetip- pos pugnant, suamque felicitatem exterminant; de sua perditione gaudet accelerans inimicus. Qua fide, & ex quo animo, qua deuotione hæc scribimus, Deo sufficit nosse, ut vobis bona futura præparetis, & nos cum Deo absolu- tos esse vel paululum sentiamus. Sed quia sacerdotibus præceptum est, *Vt tuba exalta vocem tuam, & annuntia po- pulo meo opera eorum: ergo piissima domina intelligite myste- rium, & cauete exemplum. In principio duobus fratribus commissus erat mundus. Vnus ex ipsis Cain fraticidium perpetravit, & vsque septuplum punitionis sententiam sus- cepit. Ioseph fratres sui per inuidiam vendiderunt, & postea seruituti ipsius subiugati sunt. Saül sanctum Dauid per inuidiam nitebatur occidere: ipse postea in eum miseri- cordiam exercuit. Absalom fratrem interfecit, patrem e regno voluit remouere; & qualem suscepit interitū, nulli habetur incognitum. Præcipue quoque Dauid propheta dicente: *Quoniam qui nequiter agunt, exterminabuntur: qui vero expectant Dominum, ipsi hereditabunt terram.* Apostolus clamat: *Qui odit fratrem suum, homicida est, & in tenebris ambu- lat, & nescit quo vadat.* Saluator denuntiat: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquor vobis.* Vbi est pax & caritas, ibidem est Dei pietas. Legimus per Esther reginā populo fuisse concessam salutem. In hac parte & vestram ostendite prudentiam, & fidei vestræ salubritatem atque perfectionem; ut & domi- num regem a Dei reuocetis offensa, & populum a parte sua viuere liceat quietū, donec iudex æternus consuetam**

Isa. 58.

Gen. 4.

Gen. 37.

1. Reg. 18.

2. Reg. 13.

Psal. 36.

1. Ioan. 3.

Matth. 5.

Ioan. 14.

Eph. 8.

BENEDICTVS P. I. PARISIENSE. IVSTINVS IVNIOR IMP.
CHILPERICVS REX FR.

709

ANNO CHRISTI 573. discernat iustitiam. Quia euidentissime omnibus patet, quia caritatem fraternalm postponit, despicit consortium, non acquiescit veritati, omnes prophetæ contra ipsum loquuntur, omnes apostoli ipsum detestantur, & Deus omnipotens ipse quod constituit, iudicabit. Præmisso salutationis obsequio supplicamus, ut latorem præsentium seruum vestrum Gundulfum commendatum habeatis, & quæ per eumde verbo mandamus, absque hæsitatione credentes recipiatis, & implere non despiciatis, & elaboretis qualiter de vestra salute nobis gaudia præparetis. Illud petimus, ut per vestræpietatis rescriptū ex omnibus iocundari mereamur.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ Epistola S. Germani ad Brunichildem.] Scriptam coniicimus quo tempore Sigebertus bellum aduersus Chilpericum fratrem comparabat, de quo Gregorius Turonensis post Synodi superioris mentionem agit lib. 4. cap. 44.

ANNO CHRISTI 577.

CONCILIVM PARISIENSE,
IN QVO PRÆTEXTATI EPISCOPI
Rothomagensis causa, Chilperico rege accusante,
discussa est, anno Christi DLXXVII. Benedicti papæ V.
Chilperici eiusdem regis XVI.

INFENSUS iam ante Prætextato Rothomagensi episcopo rex Chilpericus, quod Merouenum ipsius filium cum Brunichilde regina, post Sigeberti mortem, matrimonio copulaasset, cum alio etiam nomine delatus fuisset, hominem accersit, detinuitque, quo ad in publica Synodi audiencia examinaretur. Conuenere igitur Parisios in S. Petri basilica episcopi XLV. Quid porro actum in hoc conuentu, & quo patto circumventus Prætextatus, ad falsam confessionem inductus, atque in exilium a rege sit electus, exponit his verbis Gregorius Turonensis lib. 5. historiæ cap. 19. Audiens, inquit, Chilpericus, quod Prætextatus Rothomagensis episcopus contra utilitatem suam populis munera daret, eum ad se arcessiri præcepit. Quo discusso, reperit cum eodem res Brunichildis reginæ commendatas: ipsisque ablatis, eum in exilio usque ad sacerdotalem audienciam retineri præcepit. Coniuncto autem Concilio exhibitus est. Erant autem episcopi qui aduerterant apud Parisios in basilica S. Petri apostoli. Cui rex ait:

Concil. Tom. 12.

Vuuu iii